



diu cogitanti, quam de re possem in hacce dissertatione mea inaugurali dicere, ne de iisdem rebus ego quoque dictata quasi decantarem; nulla profecto maior occurrebat, quam si Socinianos proprio iugulandi gladio viam traderem meis ciuibus. Quod quum adhuc nemo docuit, compluribus exemplis his paginis me, arbitror, id consequutum esse. Feci saltem, quod potui, vt illud esset notum nostris.

Commemorandae itaque eiusdem generis mihi Socinianorum sententiae erant. Illas in lucem quoque protuli. Ne vero quis, quod statim fit, nisi a fontibus res nostras hauriamus, et mihi forte obiiciat, me riuulos modo confectatum esse et potius ad aliorum, quam ad Socinianorum placita prouocasse; ipsa illorum scripta in manus sumsi, ea praesertim, quibus valorem quasi symbolicum solent attribuere. Quum vero ex iisdem *Catechismus Racouiensis*, maior ille, auctus, emendatus atque annotationibus illustratus primum locum teneat; *) ad illum, sicut C1010CLXXX. editus fuit, **) vnice

*) vid. §. II. C. V. Sect. X. et Biblioth. cit. Praesidis Magnifici.

**) Vt enim Praeses Magnificus, quem vnicum in hacce re se-